

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CXV.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

fuit. Disputationem de generali ubiuitate Corporis Christi, cum totam explicare non possim, iudicavi de Lutheri consilio ex parte præcidendam esse. Hoc, ut arbitror, vos non offendet, cum liberum permittam, ut in illa disputatione quisque suo sensu abundet. Sed de singulis tu, mi Marbachi, ut libere ad me scribas, amanter & diligenter oro. Civis enim ille noster, qui librum cum literis tibi tradet, huc reversurus est. Hoc etiam addam; Ex collegis nostris quidam constituerunt libros suos ad scholam vestram mittere, sed ratio convictus, disciplina & habitatio eorum ipsis ignota est, ut de sumptibus statuere possint. Voluerunt igitur per me hoc à te petere, ut paucis nos hisce de rebus certiores reddere non graveris.

Peltis per hanc ætatem satis atrociter apud nos grassata est, jam vero DEI beneficio cæpit remittere. Bene & feliciter in Christo Vale. Brunsvigæ 25. Novembris 1566.

Salutem suo nomine tibi rescribi jubet D. Mörlinus.

Martinus Chemnitius.

CXV.

Gratiam & pacem per $\frac{11}{17}$ 12p. 2

ET si tuam excellentiam, Reverende & doctissime vir, tot tamque sanctis negotiis occupatam, incomptis meis literis interpellare cunctabar: tamen cum hic noster tabellarius suum in perferendis literis officium ad me deferret, permagnum tui salutandi me desiderium incessabar. Quod igitur huic ex summa animi erga te mei observantia profecto desyderio satisfacere voluerim, tuam, quæ summa est, humanitatem mihi condonaturam esse existimo. Rogo autem pietatem tuam, Reverende vir, Domine & pater in Christo colendissime, si quid iudicatum est de nuperrime ad Conventum vestrum misso à me scripto, Eucharistiæ definitionem excutiente, vel si juxta meam petitionem à vobis aliquid limatum, vel à Domino Erythræo compositum est, per præsentem tabellarium ad me transmittas. Res videtur exigua, cum alioqui tot egregiis libris veritas à calumniis Fanaticorum vindicata sit: sed tamen nescio, quomodo me valde sollicitum reddit, ita ut, antequam à majoris autoritatis Doctoribus os illud impurum obruratum sit, quietus esse nequeam. Maximopere igitur tuam humanitatem oratam volo, ne hanc piam sollicitudinem meam ægrè ferat, utque ad confirmandum cum me tum alios simplices, meique similes, aliquid peculiariter de hac re divulgetis. Nihilominus caveri posse iudico, ne nos ipsi

Gg 2

deh

definitionem beati Lutheri in dubium vocare videamur. Spero, Dominum Valentinum Erythræum pro summis, quibus ornavit eum Spiritus Sanctus, *χαρισμοσι* (unde & *λέγει γνάριος ἡγι σοφίης & διακρίσει πνεύματος & ἰσχυρίᾳ γλαυκῶν* multis antecellit) scriptum aliquod, nominatam definitionem concernens, editurum. Porro est & aliud, quod tuæ pietati conquerar, quo mihi vix unquam tristius aliquid evenit. Nam prima Decembris die multi Zuingliani (qui sive Juris sive injuriæ Doctores sunt) simul me, haud dubiè ex mutua conspiratione, in publico quodam epulo, statim initio epuli, nullo adhuc ebrio, coram consulibus & magna senatus parte, aggressi, multis modis Lutheri doctrinam calumniabantur, me autem initio modeste, postea verò subinde, (ut in ejusmodi rixis fit) acrius veritatem doctrinæ & famam tam sancti viri defendente, unus tandem ex illis, vir consularis, LL. q; Doctor, Cunradus Humpertus, clara voce proclamabat: *Cur tu addictus es Lutheri? Is multa scurrilia scripsit.* Hanc vocem ego molestissimè ferens, clara item voce respondebā: *Ignoscat mihi tua excellentia, hoc est apertissimum mendacium.* Hoc ipse sui honoris deminutionem interpretans & ægerimè ferens, continuò surrexit & se domum contulit. Multi postea ex patriciis mihi dira comminati sunt. Consules autem & Senatus neque mecum neque cum illo quicquam eo nomine egerunt: Sunt enim consules & aliqui præterea senatores Lutheri sententiæ addicti, per quos stare puto, quò minus agant aliquid vel mecum vel cum adversario. Ex aliquibus enim audivi, ipsos consules & senatores quosdam ægrè calumniam dictam tulisse, dignum tali responso judicasse. Quicquid autem est, certè Zingliani, qui multis antea modis me hinc pellere conati sunt, multaque, ut mihi molesti meisque institutis impedimento essent, fecerunt (propriam enim sibi scholam constituerunt) nunc se causam diu optatam invenisse judicant, qua me jure pelli debere, senatui persuadere possint: Ut qui virum consularem tam immodeste mendacii arguerim. Porro, etsi me civilius respondisse optarim, tamen ob causæ bonitatem deprecari me non decere existimo, sed potius, quicquid futurum est, patienter expectare & ferre decrevi. Nam & hunc versum, mihi tritum, adhibeo. *Quicquid erit, quod fata ferent, tu, Rector Olympi, sancta voluntatis persue jussa tua.* Quod si sic blasphemare perrexerint, certè pro magno beneficio, si me tandem ejicerint, habebō. Laborum molestia tanta in hoc scholastico pulvere est, ut sæpe me ad minus laboriosam provinciam vocari optem. Eò igitur minus ægrè feram, si me hinc expulerint. Si tua intercedente humanitate in Schola Tubingensi, Lauingana, aut alia (ubi simul in Ecclesia quid agere possem) munus docendi acciperem, pergratum mihi foret. Sic enim amo literas, ut sine illis Ecclesiastica

A. 1567.

PARS TERTIA.

277

stica negotia difficiliora mihi videantur, & sic amō illa ipsa Ecclesiastica munera, ut literæ sine illis minus gaudii mihi adferant. Propterea, quantum licet, huc animum intendo, ut operam docendi & in Ecclesia & in schola obire desiderem. Forsitan pecco in hac re, idēd monitus non manebo in hac opinione. Fiat, quod divina voluntas super me decrevit. Ah ignoscat mihi tua pietas, quod diutius eam meis ineptiis detineo. Saluret meo nomine fratres omnes & ipsa in Domino Jesu bene valeat, cum honestissima conjugē sua & liberis. Utinam aliquando animi nostri observantia, qua erga t. h. propendo, declarandi se nobis offerret occasio. Totum me vestrum esse sciatis. Datum Francofurti ad Mœnum, ultimo Decembris, s. pridie Calendas Januarii, anno 1567.

Tuam pietatem reverenter colens

Jeremias Homberg, Fridslariensis,
Francofurdanæ scholæ ad Mœnum Gu-
bernator.

CXVI

Salutem in Christo Salvatore.

Mi per mercatorem quendam libellum meum, scriptum de personali duarum naturarum in Christo unione, ut illum una cum litteris tibi exhiberet. Et existimo, in proximis vestris nundinis libellum & literas tibi exhibuisse eum, cui negotium hoc commiseram. Ex literis autem meis te intellexisse non dubito, quo consilio & tuam & Ecclesiæ vestræ censuram de isto meo libello mihi perscribi petierim. Et ad proximas vernas Francofurtenses nundinas expectaturus eram tuum responsum. Accidit autem, quod vicinus quidam nobilis filium suum ad vestram Scholam hisce diebus missurus erat, cumque hac occasione existimarem, me & cito & certo (alias enim literæ sæpe intercidunt) responsum à te accipere posse: judicavi occasionem illam non esse negligendam. Oro itaque diligenter, ut huic ministro nobilis ab Assenburg, qui has tibi litteras exhibebit, tradas responsum: hac enim ratione certo ad me perferetur. Ut autem diligenter & libere tuum mihi iudicium rescribas, etiam atque etiam oro, sicut in prioribus litteris illud è te petii. Potro petieram à te, ut libellum cum adjunctis litteris Tubingam mitteres ad D. Jacobum Andream. Quod si illud jam factum est, injunctum est huic homini, ut Tubingam excurrat, petiturus responsum. Sin vero nondum potuisses ante nuncii hujus adventum libellum mittere Tubingam, frustra iter illud susciperet. Dicatur igitur huic nuncio, an eundem sit ipsi Tubingam pro afferendo responso: an vero non? Hæc

Gg 3

raptim